

PRÆFATIO

AD

BENEVOLUM LECTOREM.

QUUM DEO immortalis, qui in subeundis, & tractandis vitæ civilis officiis fata mea sapienter moderatus est, ita visum fuit, ut ex patria urbe Freiberga, quam fortunarum sedem post varia rerum discrimina constitutam esse mihi arbitrabar, in hanc Academiam commigrarem, & primùm inter illos, qui Ordini Jctorum assident, locum occuparem, postea vero ex

PRINCIPIS voluntate Professorio etiam muneri imponerer; nihil prius atque antiquius habendum mihi esse existimavi, quam ut ea, quæ mihi demandabantur, recte, atque ordine agerem, ac officii omnes, quantum quidem per vires liceret, partes adimplerem. Inter primos vero labores, quos, ut commodis cupida LL. juventuti studerem, suscepi, fuit etiam juris beneficiarii interpretatio, quam ea ratione aggressus sum, ut viam sequeretur, qua consummatissimus ille Germaniæ Jctus, illustris STRYKIUS, præivit, quem docentem olim in celeberrima Viadrina Academia sectatum esse, cuius, cum Ordini nostro hic loci præsideret, collegam adfuisse, inter maximas felicitatis partes habeo, & semper, quoad vivam, sum habiturus. Hac vero cura dum perfungor, varios e-

*** 2

vol-